DOMINI NERSETIS

MONITA ANIMABUS UTILIA

PRO PRECIBUS.

Pro cunctis Christianis, pro magnis et parvis, pro viris et mulieribus precatio, quam oportet unumquemque discere atque exercere, atque invicem unum alterum docere. Sacerdos quidem (*eam doceat*) populum, pater filios, filias mater, socius socium; eamque recitent in quinque partes distributam quotidie; duodecies genuflectendo, diluculo, horâ cibi, meridie, vespere, ac requiei horâ. Sin autem piger quis fuerit, eumque taederet quinquies illam recitare, quater eam recitet, aut ter, aut bis, aut semel in die; ut exinde agnoscatur christianum esse, seque ipsum agnoscat Dei creaturam, ejusque adoratorem. Sin vero aliquem taederet cuncta hujusce precationis verba perdiscere (discuntur interim solertiâ maximâ diabolici cantus) dimidium ediscat, minusve; nam etsi orationis hujus vel tres versiculos didicerit terque eo tempore genuflectendo recitaverit, id acceptum erit coram Deo. Si quis autem Christianorum neglexerit omnino eamdem ediscere ac recitare, confundatur ab errantibus Mahumeti populis, precationem, quam eos ille docuit, ne belli quidem tempore omittentibus, eo minus autem tempore pacis. Nostri vero populi extra oratorium ne reminiscuntur quidem nominis Dei, quia non quaerunt, sicut illi, devotionem in oratione, sed garrulitatem magis quam preces amant; atque interdum

si ad Sacerdotes precaturi pergant, aut stant clauso ore aut invicem confabulantur, quippe qui nec precationis verba norunt, nec Psalmis caeterisque Sacerdotum ritibus attendunt.

Quare hanc precationem simplicibus clarisque verbis composuimus, ut facile ab idiotis intelligatur in orationibus eorum. Quae praecatio brevis est quoad verba, vigintiquatuor contenta versiculis, juxta diei noctisque horas, ac Prophetarum libris consona, verum est fortis quoad sensa; includit enim plurium, quarum indigemus, rerum ad Deum petitionem. Eam porro populis nostris discendam dedimus, ut omnes Christianae animae illam sciant, et ubique fuerint in orationis horâ, Deum per eamdem alloquantur, sive in Ecclesiâ, sive domi, sive in agro, sive in negotiis, sive in viâ. Super illos autem, qui eam discunt ac recitant attente ac devoto corde et cum lacrymis, omnes, quae in eâ scriptae sunt, petitiones, cum in hac vitâ tum post mortem, implebuntur. Qui vero eam contemnunt nec discunt nec recitant, ipsi videant; abest a nobis culpa ex quo hanc precationem composuimus; ne falsam deinceps proferant excusationem, quia nempe eo quod preces memoriter non tenent, ideo non orant. Verum hi sciant, diabolum non adeo laborare ad alia bona opera impedienda, quam ut orationem impediat; scit enim ille, quod per orationes nostras expellitur a nobis, atque in nobis Deus habitat.

Nos interim Deum bonorum omnium factorem precamur, ut cunctis aperiat mentis oculos ad eam ultro discendam, fideque recitandam, utque ab eo exaudiantur. Hanc porro recitantes mementote in Christo Gregorii Armeniorum Catholici, ejusque fratris Nersetis hujus precationis compositoris.

Vos autem, qui eam in libris transcribitis, haec quoque exhortationis verba scribite: et qui eam scripserint, ipsimet scribantur in catalogo aeternae vitae; et qui eam didicerint ac recitaverint, misericordiam a Christo inveniant. Qui vero eam socium

docuerint, mercedem a Deo accipiant; et qui eam scripserint, ne verbum quidem aut sillabam addant vel minuant, praeter quam quod scripsimus; ne variantia fuerint exemplaria, sed similia cuncta, ubicumque scribantur. Qui autem scribere non valent, eam transcribere faciant ab iis, qui recte norunt, ut sine errore sit scripta.

PRECATIO SANCTI NERSETIS

Pro vigintiquatuor diei noctisque horis.

1. Fide confiteor, et adoro te, Pater et Fili et Spiritus Sancte; increata et immortalis natura, Angelorum hominumque et omnium entium creatrix. Tuarum miserere creaturarum.

2. Fide confiteor et adoro te, indivisibilis Lux, Sancta consubstantialis Trinitas unaque Deitas, lucis creatrix ac tenebrarum dissipatrix; expelle a spiritu meo peccatorum et ignorantiae tenebras, atque illumina in istâ horâ mentem meam, ut orem te in beneplacito tuo, atque a te mea postulata percipiam. Porro miserere mei omnimode peccatoris.

3. Pater caelestis, Deus vere, qui Filium tuum dilectum misisti ad ovem perditam quaerendam: peccavi in caelum et coram te; suscipe me sicut prodigum filium, meque indue stolâ primâ, quam per peccatum exui. Atque tuarum miserere creaturarum, nec non mei peccatoris maximi.

4. Fili Dei, Deus vere, qui te de sinu paterno humiliasti et propter nostram salutem corpus de Sanctâ Virgine Mariâ sumpsisti, crucifixus fuisti ac sepultus, et surrexisti a mortuis, et ascendisti ad Patrem: peccavi in caelum et coram te; memento mei, sicut Latronis, quum veneris in regnum tuum [1]. Ac miserere creaturarum tuarum, et mei peccatoris maximi.

1 Seu potius: *quum veneris cum regni tui majestate.*

5. Spiritus Dei, Deus vere, qui descendisti in Jordanem et in Caenaculum, meque per Sancti Fontis lotionem illuminasti : peccavi in caelum et coram te; munda me rursus igne tuo divino, quemadmodum igneis linguis Apostolos. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

6. Increata natura: peccavi in te mente meâ spiritu et corpore meo; ne memineris iniquitatum mearum antiquarum propter Nomen Sanctum tuum. Et miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

7. Speculator omnium rerum: peccavi in te cogitatione verbo et opere; dele chirographum delictorum meorum, et scribe nomen meum in catalogo vitae. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

8. Scrutator occultarum cogitationum: peccavi in te ultro et invite, scienter et ignoranter: veniam largire mihi peccatori, ex quo enim per lavacrum renatus fui, usque in hodiernum diem, peccavi coram tuâ Divinitate sensibus meis cunctisque corporis membris. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

9. Provisor omnium Domine : pone timorem sanctum tuum custodem oculis meis, ne turpia aspiciant; atque auribus meis, ne libenter audiant sermones malos; et labiis meis, ne loquantur mendacium; et cordi meo , ne cogitet malum ; et manibus meis, ne operentur injustitiam; et pedibus meis, ne pergant in viam iniquitatis; sed dirige motus eorum, ut sint in omnibus secundum praecepta tua. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi

10. Ignis ardens, Christe: ignem amoris tui, quem effudisti in terram, accende in animâ meâ; ut spiritûs mei sordes absumat, et purificet conscientiam meam, atque corporis mei peccata detergat, et in corde meo accendat lumen sapientiae tuae. Ac mi-

serere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

11. Jesu, sapientia Patris: da mihi sapientiam cogitandi et loquendi et agendi bonitatem in conspectu tuo semper: a pravis cogitationibus verbis et operibus libera me. Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

12. Domine volens bonum, ac voluntatem movens: ne permittas me incedere secundum desideria mea ; sed perduc me ad tuam voluntatem, quae rectum diligit, adimplendam. Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

13. Rex caelestis: da mihi regnum tuum, quod diligentibus te promisisti ; et corrobora cor meum ad peccata abhorrenda, ac diligendum te solum, et voluntatem tuam perficiendam. Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

14. Creaturarum Provisor: per signum crucis tuae custodi spiritum et corpus meum a peccati illecebris, a daemonum tentationibus, ab hominibus iniquis, et ab omnibus animae et corporis periculis. Atque miserere creaturarum tuarum, ac mei peccatoris maximi.

15. Omnium Custos, Christe: dextera tua protegat me die ac nocte, domi commorantem et iter facientem, dormientem et surgentem; ne quando fluctuem. Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

16. Deus mi: qui aperis manum tuam et imples omnem creaturam misericordiâ tuâ, tibi commendo animam meam: tu curam habe et para necessaria spiritui et corpori meo ex hoc nunc et usque in saeculum. Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

17. Errantium reductor: reduc me ex pravis consuetudinibus meis ad bonos habitus ; et infige spiritui meo formidabilem mortis diem, atque inferni metum, ac Regni tui amorem; ut peccatorum me poeniteat, ac justitiam operer. Atque miserere creaturarum tuarum, necnon mei peccatoris maximi.

18. Fons immortalitatis: effluere fac de corde meo' quemadmodum ex peccatrice, lacrymas poenitentiae; ut abluam peccata mea priusquam egrediar de hoc mundo. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

19. Largitor misericordiae: largire, me ad Te venire per orthodoxam fidem, per bona opera, et per sanctam corporis et sanguinis tui communionem. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

20. Benefice Domine: committe me Angelo bono, ut suaviter animam meam reddam, ac per malitiam daemonum, qui sub caelo sunt, incolumis transeam. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

21. Lux vera, Christe: dignum redde spiritum meum, qui in die accitûs [1] videat laetanter gloriae tuae lumen, et usque ad diem adventûs tui magni requiescat in spe bonorum in mansione justorum. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

22. Juste Judex: quando veneris cum gloriâ Patris judicare vivos et mortuos, non intres in judicium cum servo tuo; sed libera me ab igne aeterno, et auditum fac mihi beatum justorum accitum ad caeleste reguum tuum. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

23. Misericors Domine: miserere cunctorum in te credentium, meorum et alienorum, notorum et ignotorum, vivorum et mortuorum: meis quoque inimicis et adversariis veniam concede injuriarum, quas in me operati sunt, eosque ab improbitate, qua in me affi-

1 Scilicet *in die mortis*. Ad quamlibet autem arcendam ambiguae opinationis interpretationem adversus Armeniacae Gentis fidem, ex iis fortasse, quae protulit P. Galanus, aut alii quidam, exortam ; sic intelligenda sunt haec precationis verba. » Quum *in die mortis* spiritus meus fuerit donatus visione luminis gloriae tuae, requiescat ibi in reguo tuo caelesti, ubi sunt justorum mansiones; ibique expectet, suum quoque corpus in die judicii donari aeternâ beatitudine, quam vivens speraverat . «

ciuntur, converte, ut fiant et ipsi misericordiâ tuâ digni. Atque miserere creaturarum tuarum, nec non mei peccatoris maximi.

24. Gloriosissime Domine: istas suscipe deprecationes servi tui, benigneque petitiones meas imple per intercessionem Sanctae Deiparae et Johannis Baptistae et S. Stephani protomartyris, et S. Gregorii nostri Illuminatoris, et sanctorum Apostolorum et Prophetarum et Doctorum et Martyrum et Sanctorum Patriarcharum et Eremitarum et Virginum et omnium Sanctorum tuorum caelestium et terrestrium. Tibique, sancta et individua Trinitas, gloria et adoratio in saecula saeculorum. Amen.